



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

SS. Philippus & Jacobus Apost. 1. Maii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

278 VITÆ SANCTORUM. 1. Maii.  
*niam ad dicendum laudes dies sola non sufficit, nocturna spatia pervigili cantilenâ decurrit. S. Max. serm. de Carn. host. non timend.*

SS. PHILIPPUS & JACOBUS  
APOST. 1. Maii.

**G**emino dies hic sole nitet. PHILIPPUS alter, alter JACOBUS est. ille vix inter hominum piscatores adle-  
tus, captum illico ad CHRISTUM Nathanaelem adduxit, laudatam ab ipso Servatore prædam. Sed & ii, qui à veri Numinis cultu alieni erant, ad JESUM aditum sibi per PHILIPPUM quærebant. Illum in consilio Magister habuit, cum ingenti multitudini comæatum pararet: illo rogante discipulis in filio patrem ostendit. Hinc cum in sortem paucorum totus orbis veniret, provinciam ipse nactus Scythiam, eam facile CHRISTO subegit, victorque sub annum IV. & L. Hierapoli urbe Phrygiæ in cruce triumphavit; cum lapides viles jactantibus, sed pretiosi PHILIPPO triumphalem coronam multò pulcherrimè exornarent. Et hujus quidem triumphus de Barbaris; de Judæis JACOBI fuit. Hic carne & vino à teneris sibi interdixit: longâ precandi consuetudine genibus callum obduxit, qui vel Camelo certaret: eâ famâ sanctitatis fuit, ut

S. IOAN DAM

I. Maii. VITÆ SANCTORUM. 279  
ingredi in sanctiora templi adyta uni illi  
liceret; & vel oram vestis ejus prehen-  
dere, partem felicitatis ducerent. Ita  
rem Hierosolymæ Christianam cum  
XXX. annos administrasset, anno partæ  
salutis LXIII. vitæ XCVI. è templi ve-  
stigio dejectus, & inter preces, quas pro  
hostibus suis faciebat, fuste fullonis cæ-  
sus est: ut jam me dubium uterque hic Sol  
faciat, orbine luxerit, an Cælo occiderit  
pulchrior. *Ex Brev. Rom.*

*Nos quoque timore Domini crucifixos  
oportet hinc omnibus non solum carnalibus  
vitiis, verum etiam ipsis elementis mor-  
tuos esse; illuc habentes oculos animæ nostræ  
defixos, quò nos speramus momentis sin-  
gulis migraturos. Cassian. l. 4. de Inst.  
Renunc. cap. 35.*

#### S. SIGISMUNDUS REX.

I. Maii.

Quoties noverca ex patre vitricum fe-  
cit: Sanè SIGISMUNDUM Bur-  
gundionum Regem eò artibus suis impu-  
lit, ut filium Sigericum, quasi patrem  
regno exuere cogitasset, vitâ ipse exue-  
ret. Verum asperfas filii cruore ma-  
nus tam multis lavit lacrymis, ut quem  
sic pœniteret, panè innocens dici pos-  
set. Monitus tamen ab ignoto nescio  
quo sene, & suam potiùs vitam, quàm  
filii (qui cælo frueretur) mortem deslere  
S 4                    jus-